

DE BENEDICTIONE SIGNI, **VEL** CAMPANÆ.

**S**ignum vel Campana debet benedici, antequam ponatur in campanili, hoc ordine. In primis debet Campana ipsa ita suspendi, et situari, ut commode possit intus et extra tangi, tractari, et circumiri; deinde prope ipsam Campanam benedicendam paratur Pontifici faldistorium: vas aquæ benedicendæ; aspersorium; vas cum sale; lintea munda ad extergendum Campanam, quando opus fuerit; vas Olei sancti infirmorum; sanctum Chrisma; thymiana; thus; myrrha, et thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, et dalmaticam albi coloris. Quibus ordinatis, Pontifex in sacristia, aut alio convenienti loco paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviâ albi coloris, et mitra simplici, baculum Pastoralem manu gestans, venit prope Campanam, ubi sedens super faldistorium ibidem sibi paratum, dicit cum ministris Psalmos sequentes, videlicet:

Ps. 50. Miserere mei Deus. pag. 64.

Psalmus 53.

**D**eus in nómine tuo saluum me fac: \* et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratióem meam: \* aúribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsus me, et fortes quæsiérunt ánimam meam: \* et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: \* et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Psalmus 56.

**M**iserere mei Deus, miserere mei: \* quóniam in te confidit ánima mea.

Avérte mala inimicis meis: \* et in veritaté tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, \* et confitébor nómini tuo Dómine: quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: \* et super inimicos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculórum. Amen.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, \* donec tránseat iniquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: \* Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, et liberávit me: \* dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritaté suam, \* et eripuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagittæ: \* et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos Deus: \* et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: \* et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante faciém meam fóveam: \* et incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: \* cantábo, et psalmum dicam.

Exsúrge glória mea, exsúrge psaltérium et cíthara: \* exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine: \* et psalmum dicam tibi in Géntibus:

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, \* et usque ad nubes veritas tua.

Exaltáre super cælos Deus: \* et super omnem terram glória tua.

Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculórum. Amen.

Psalmus 66.

**D**eus misereátur nostri, et benedícat nobis: \* illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam: \* in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Confíteántur tibi pópuli Deus: \* confíteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent Gentes: \* quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et Gentes in terra dirígis.

Confíteántur tibi pópuli Deus, confíteántur tibi pópuli omnes: \* terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: \* et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculórum. Amen.

Psalmus 69.

**D**eus in adjutórium meum inténde: \* Dómine ad advándum me festína.

Confundántur et reveréantur, \* qui quærunť ánimam meam.

Avértantur retrórsus, et erubéscant, \* qui volunt mihi mala.

Avértantur statim erubescéntes, \* qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunť te, \* et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egēnus, et pauper sum: \* Deus adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: \* Domine ne moreris.

Glória Patri, et Filio, \* et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: \* quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam quoniam sanctus sum: \* salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: \* lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavissimus, et mitis: \* et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: \* et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: \* quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: \* et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: \* et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et factiens mirabilia: \* tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua,

Ps. 129. De profundis clamavi. pag. 66.

Expletis Psalmis, surgit Pontifex, et stans cum mitra benedicit sal, et aquam dicens: *Ꝟ. Adjutorium nostrum, etc., prout habetur supra in Benedictione et impositione primarii lapidis, pag. 117. et continuans usque ad Orationem, Deus, qui ad salutem humani generis, etc. inclusive.*

Qua dicta, Pontifex adhuc sine mitra stans dicit absolute sequentem Orationem:

et ingrediar in veritate tua: \* lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, \* et glorificabo nomen tuum in æternum:

Quia misericordia tua magna est super me: \* et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quasi erunt animam meam: \* et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator et misericors, \* patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei, \* da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: \* quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Glória Patri, et Filio, \* et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculorum. Amen.

**B**ene \* dic Domine hanc aquam benedictione cœlesti, et assiste super eam virtus Spiritus sancti; ut cum hoc vasculum, ad invitandos filios sanctæ Ecclesiæ præparatum, in ea fuerit tinctum, ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum; et cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gremium, cantent tibi in Ecclesia Sanctorum canticum novum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, suavitatem organi, exultationem tympani, jucunditatem cymbali; quatenus in templo sancto gloriæ tuæ suis obsequiis et precibus invitare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Post hæc Pontifex mittit sal in aquam, in modum crucis, dicendo semel:

Commixtio salis, et aquæ pariter fiat. In nomine Patris \* tris, et Filii \* lii, et Spiritus \* sancti. *R.* Amen.

*Ꝟ.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

**D**eus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator; qui adversæ dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis sævitiam superas; qui hostiles nequicias potenter expungas; te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur; et præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

*R.* Amen.

His peractis, Pontifex, accepta mitra, incipit lavare Campanam cum dicta aqua; et ministri prosequuntur lotionem; lavantes eam totaliter intus, et extra, deinde cum linteo mundo extergunt; Pontifice interim cum mitra sedente, et cum aliis ministris dicente Psalmum, cum aliis sequentibus.

Psalmus 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: \* psallam Deo meo quamdiu fuero. Nolite confidere in principi-

bus: \* in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: \* in illa

die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: \* qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: \* dat escam esuriéntibus.

**Psalmus 146.**

**L**audate Dominum quoniam bonus est psalmus: \* Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

Ædificans Jerúsalem Dominus: \* dispersiones Israël congregabit.

Qui sanat contritos corde: \* et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: \* et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: \* et sapientiae ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: \* humilians autem peccatores usque ad terram.

**Psalmus 147.**

**L**auda Jerúsalem Dominum: \* lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: \* benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: \* et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: \* velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: \* nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut

Dominus solvit compeditos: \* Dominus illuminat caecos.

Dominus erigit elisos, \* Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet: \* et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in saecula Deus tuus Sion, \* in generationem et generationem.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Præcinite Domino in confessione: \* psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: \* et parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum: \* et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum: \* et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: \* nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: \* et in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

buccellas: \* ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: \* flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: \* justitias, et judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: \* et judicia sua non manifestavit eis.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

**Psalmus 148.**

**L**audate Dominum de caelis: \* laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: \* laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol et luna: \* laudate eum omnes stellæ, et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: \* et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: \* ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: \* præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra, \* dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spi-

**Psalmus 149.**

**C**antate Domino canticum novum: \* laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum: \* et filii Sion exsultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: \* in tympano, et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: \* et exaltabit mansuetos in salutem.

Exsultabunt Sancti in gloria: \* lætabuntur in cubilibus suis.

**Psalmus 150.**

**L**audate Dominum in sanctis ejus: \* laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: \* laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: \* laudate eum in psalterio, et cithara.

ritus procellarum: \* quæ faciunt verbum ejus:

Montes, et omnes colles: \* ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora: \* serpentes, et volucres pennatæ:

Reges terræ, et omnes populi: \* principes, et omnes iudices terræ.

Juvenes, et virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini: \* quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum, et terram: \* et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: \* filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

**Sine** Glória Patri.

Exaltationes Dei in gutture eorum: \* et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: \* increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: \* et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: \* gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

**Sine** Glória Patri.

Laudate eum in tympano et choro: \* laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: \* omnis spiritus laudet Dominum.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Quibus finitis, surgit Pontifex cum mitra, et cum pollice dexteræ manus facit ab extra supra Campanam de Oleo sancto infirmorum signum crucis; quo facto, deposita mitra, dicit:

Orémus.

**D**eus, qui per beátum Móysen legíferum fámulum tuum tubas argénteas fieri præcepisti, quibus dum Sacerdótes témpore sacrificii clángerent, sónitú dulcédinis pópulus mónitus ad te adorándum fieret præparátus, et ad celebránda sacrificia conveniret; quarum clangóre hortátus ad bellum, molímina prostérneret adversántium; præsta, quæsumus; ut hoc vásculum sanctæ tuæ Ecclésiæ præparátum sancti ✠ ficétur a Spíritu sancto, ut per illius tactum fidéles inviténtur ad præmium. Et cum melódia illius aúribus insonúerit populórum, crescat in eis devótio fidei; procul pellántur omnes insídiæ inimici, fragor grándinum, procélla túrbinum, ímpetus tempestátum; temperéntur infésta tonítrua; ventórum flabra fiant salúriter, ac moderáte suspénsa; prostérnat aéreas potestátes dextera tuæ virtútis; ut hoc audiéntes tintinnábulum contremíscant, et fúgiant ante sanctæ crucis Filii tui in eo depíctum vexillum, cui fléctitur omne genu cœlestium, terréstrium, et infernórum, et omnis lingua confitétur, quod ipse Dóminus noster Jesus Christus, absórpta morte per patíbulum crucis, regnat in glória Dei Patris, cum eódem Patre, et Spíritu sancto, per ómnia sœcula sœculórum.

R. Amen.

Pontifex, accepta mitra, extergit cum linteo mundo crucem a se factam. Deinde inchoat, schola prosequente, Antiphonam.

Vox Dómini \* super aquas multas, Deus majestátis intónuit: Dóminus super aquas multas.

Psalmus 28.

Afférte Dómino filii Dei: \* afférte Dómino filios arietum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: \* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: \* Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: \* vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: \* et confrínget Dóminus cedros Líbani:

Et commínet eas tamquam vítulum Líbani: \* et diléctus

quemádmódum filius unicórni-  
nium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: \* vox Dómini concutiéntis désertum: et commóv-  
bit Dóminus désertum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa: \* et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: \* et sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: \* Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Deinde repetitur Antiphona. Interim Pontifex cum mitra stans facit cum pollice dexteræ manus de Oleo sancto infirmorum septem cruces exterius super Campanam, et deintus cum Chrismate quatuor pari distantia, dicens, dum quamlibet crucem facit:

Sancti ✠ ficétur, et conse ✠ crétur, Dómine, signum istud. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. In honórem sancti N. Pax tibi.

Deinde finitis Antiphona, et Psalmo, ac factis crucibus prædictis, Pontifex stans, deposita mitra, dicit:

Orémus.

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui ante arcam fœderis per clangórem tubárum, muros lapídeos, quibus adversántium cingebátur exercitus, cádere fecísti; tu hoc tintinnábulum cœlesti benedictione perfúnde; ut ante sónitum ejus lóngius effugéntur igníta jácula inimici, percússio fúlminum, ímpetus lápidum, læsio tempestátum; ut ad interrogatióem prophéticam, quid est tibi mare, quod fugísti? suis mótibus cum Jordánico retroáctis fluénto respóndeat: A fácie Dómini mota est terra, a fácie Dei Jacob, qui convertit petram in stagna aquárum, et rupem in fontes aquárum. Non ergo nobis Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, super misericórdia tua; ut cum præsens vásculum, sicut réliqua altáris vasa, sacro Chrismate tángitur, Oleo sancto úngitur, quicúmque ad sónitum ejus convénerint, ab ómnibus inimici tentatióibus líberi, semper fidei Cathólicæ documénta secténtur. Per Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sœcula sœculórum. R. Amen.

Tum sedet Pontifex, et accepta mitra, imponit in thuribulo thymiamam, thus, et myrrham, si haberi possunt, alioquin, quæ ex ipsis habentur: quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur Campanæ, seu signo, ut totum fumum recipiat, schola interim cantante Antiphonam:

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster?

Psalmus 76.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: \* et timuérunt, et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum: \* vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt: \* vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscationes tuæ

orbi terræ: \* commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis: \* et vestigia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, \* in manu Móysi et Aaron.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Quibus dictis, deposita mitra, surgit Pontifex, et dicit:

Orémus.

**O**mnípotens dominátor Christe, quo secúndum carnis assumpti-  
onem dormiénte in navi, dum obórta tempésta mare conturbásset, te prótinus excitáto et imperánte, dissiluit, tu necessitatibus

pópuli tui benignus succúrre; tu hoc tintinnábulum sancti Spíritus rore perfúnde, ut ante sónitum illius semper fúgiat bonórum inimicus: invitétur ad fidem pópulus cristiánus; hostilis terreátur exércitus; confortétur in Dómino per illud pópulus tuus convocátus: ac sicut Davidica cíthara delectátus désuper descéndat Spíritus sanctus; atque ut Samuэле agnum lacténtem mactánte in holocaústum regis ætérni impérii, fragor aurárum turbam répulit adversántium: ita dum hujus vasculi sónitus transit per núbila, Ecclésiæ tuæ convéntum manus consérvet angélica; fruges credéntium, mentes et córpora salvet protéctio sempitérna. Per te, Christe Jesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sácula sæculórum. *R.* Amen.

*Demum Diaconus, sacris vestibus albi coloris paratus, dicit:*

*V.* Dóminus vobíscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

*✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 10.*

**I**n illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quædam Martha nómine excépit illum in domum suam: et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illius. Martha autem satagébat circa frequens ministérium: quæ stetit, et ait: Dómine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministráre? Dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respóndens, dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollicita es, et turbáris erga plúrima: porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

*Finito Evangelio, Pontifex osculatur librum Evangeliorum per unum ex ministris sibi porrectum. Tum producit super Campanam benedictam signum crucis, et reassumpta mitra, discedens revertitur ad locum, ubi paramenta accepit, in quo dimissis sacris vestibus, vadit in pace.*

## DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE CRUCIS PROFICISCENTIBUS IN SUBSIDIUM ET DEFENSIONEM FIDEI CHRISTIANÆ, SEU RECUPERATIONEM TERRÆ SANCTÆ.

**R**ofecturus in subsidium, et defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem Terræ sanctæ, genuflectit ante Pontificem, coram quo unus ministrorum tenet crucem benedicendam illi imponendam. Tum Pontifex stans sine mitra, dicit super Crucem:

*V.* Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

*R.* Qui fecit cælum et terram.

*V.* Dóminus vobíscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

*Orémus.*

**O**mnípotens Deus, qui crucis signum pretiósó Filii tui Sáanguine dedicásti, quique per eámdem crucem Filii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum redímere voluísti, et per virtútem ejúsdem

venerábilis crucis humánum genus ab antíqui hostis chirógrapho liberásti; te suppliciter exorámus, ut dignéris hanc crucem patérna pietáte bene ✠ dicere, et cœléstem ei virtútem, et grátiam impertíre, ut quicúmque eam in passiónis et crucis Unigéniti tui signum ad tutelám córporis, et ánimæ super se gestáverit, cœléstis grátia plenitúdinem in ea, et munímen váleat tuæ benedictiónis accípere. Quemádmódum virgam Aaron ad rebéllium perfídiam repelléndam benedixísti, ita et hoc signum tua dextera béne ✠ dic; et contra omnes diabólicas fraudes virtútem ei tuæ defensionis impédas: ut portántibus illud ánimæ páriter, et córporis prosperitátem cónferat salutárem, et spirituália in eis dona multiplicet. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

*Deinde Pontifex aspergit Crucem ipsam aqua benedicta, et super recepturum ipsam dicit:*

*Orémus.*

**D**ómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus et omnípotens Deus, splendor, et imágo Patris, et vita ætérna; qui tuis discipulis asseruísti, ut quicúmque vult post te veníre, semetípsum ábneget, et suam crucem tollens te sequátur, quæsumus imménsam cleméntiam tuam: ut hunc fámulum tuum, qui juxta verbum tuum seípsum abnegáre, suámque crucem tóllere, et te sequi, ac contra inimicos nostros pro salúte pópuli tui elécti properáre, et pugnáre desíderat, semper, et ubique prótegas, ac a periculis ómnibus éruas, et a vínculo peccatórum absólvas, acceptúmque votum ad efféctum dedúcas optátum. Tu Dómine, qui es via, véritas, et vita, et in te sperántium fortitúdo, ejus iter bene dispónas, et próspéra cuncta concédas; ut inter præséntis sæculi angústias, tuo semper auxilio gubernétur. Mitte ei Dómine Angelum tuum Raphaélem, qui Tobíæ comes fuit in itinere suo, ejúsque patrem a córporis cæcitate liberávit, in eúndo et redeúndo sit ei defénsor contra omnes visibiles et invisibiles hostis insídias, et omnem mentis et córporis ab eo cæcitatém repéllat: Qui cum Deo Patre, et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sácula sæculórum. *R.* Amen.

*Tum Pontifex sedens, accepta mitra, imponit illi Crucem dicens:*

**A**ccipe signum crucis. In nómine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spí ✠ ritus ✠ sancti, in figúram crucis, passiónis, et mortis Christi, ad tui córporis, et ánimæ defensionem: ut divínæ bonitátis grátia post iter explétum, salvus et emendátus ad tuos váleas remeáre. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

*Demum Pontifex aspergit cruce signatum aqua benedicta, qui genuflexus osculatur manum Pontificis, et discedit.*

## DE BENEDICTIONE ARMORUM.

**P**ontifex benedicturus arma, quæ aliquis ministrorum coram eo tenet, aut supra altare vel aliquam mensam ponuntur, stans sine mitra, dicit:

*V.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*R.* Qui fecit cælum et terram.

*V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

**B**enedictio Dei omnipotentis Pa- tris, et Fi- lii, et Spiritus- sancti, descendat super hæc arma, et super induentem ea, quibus ad tuendam justitiam induatur. Rogamus te Domine Deus, ut illum protegas, et defendas: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Alia Oratio.

Orémus.

**D**eus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deprecemur, ut hæc arma almifica pietate bene- dicere digneris; et concede famulo tuo N. eadem gestare cupienti, ut ad munimen, ac defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, pupillorum, et viduarum, contra visibillum et invisibillum hostium impugnationem, ipsis libere et victorioso utatur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

## DE BENEDICTIONE ENSIS.

**P**ontifex ense benedicere volens, illo cui tradendus est coram eo genuflectente, quem unus ex ministris coram eo tenet, stans sine mitra, dicit:

*V.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*R.* Qui fecit cælum et terram.

*V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

**B**ene- dicere digneris, quæsumus Domine, ense istum; et hunc famulum tuum, qui eum, te inspirante, suscipere desiderat, pietatis tuæ custodia munias, et illæsum custodias. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde aspergat ense aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, tradit eum illi, cui tradendus est, genuflexo coram eo permanente, dicens:

**A**ccipe ense istum, in nomine Pa- tris, et Fi- lii, et Spiritus- sancti, et utaris eo ad defensionem tuam, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, et ad confusionem inimicorum crucis Christi, ac fidei chri-

stianæ; et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste lædas; quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

*R.* Amen.

## DE BENEDICTIONE ET TRADITIONE VEXILLI BELLICI.

**P**ontifex vexillum bellicum, quod unus ex ministris coram eo tenet, benedicere volens, stans sine mitra, dicit:

*V.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*R.* Qui fecit cælum et terram.

*V.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus.

**O**mnipotens sempiternæ Deus, qui es cunctorum benedictio, et triumphantium fortitudo; respice propitius ad preces humilitatis nostræ, et hoc vexillum, quod bellico usui præparatum est, cælesti bene- dictione sanctifica; ut contra adversarias, et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum, sitque inimicis christiani populi terribile, atque in te confidentibus solidamentum, et certa fiducia victoriæ. Tu enim es Deus, qui conteris bella, et cælestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per unicum Filium tuum, Christum Dominum nostrum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Deinde aspergit vexillum aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, genuflexo coram eo illo cui vexillum tradendum est, consignat ei ipsum vexillum, dicens:

**A**ccipe vexillum cælesti benedictione sanctificatum, sitque inimicis populi Christiani terribile, et det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen, et honorem, cum illo hostium cuneos potenter penetres incolumis, et securus.

Deinde dat ei osculum pacis, dicens:

Pax tibi.

Qui, accepto vexillo, osculatur manus Pontificis, surgit, et discedit.

